

constet in aliquo casu particulari haereticum. de quo agitur, fuisse *revera* nulliter baptizatum. Practice, si utraque pars in matrimonio perseverare vult, nulla erit difficultas : cum, renovato consensu et data ad cautelam (si una pars adhuc infidelis manet) dispensatione super impedimento disparitatis cultus, omne dubium de valore matrimonii evacuari possit. Si vero ab invicem discedere voluerint, ad S. Sedem recurrendum erit, expositis omnibus circumstantiis.

7^o Patet matrimonium validum esse si pars dubie baptizata, puta vir protestans, contrahit cum parte non baptizata, puta cum muliere infideli, postea autem certo innotescit baptismum fuisse nullum : neutra enim pars legi ecclesiasticae subjacebat.

489. III. Ubi in impedimento disparitatis cultus dispensatur, exigendae sunt a nupturientibus eaedem cautiones quae a contrahentibus cum parte haeretica exiguntur. Cfr. n. 518.

Nullam earum remittere licet ubi de matrimonio nondum attentato agitur ; ubi vero jam attentatum est matrimonium et urgentes rationes mutuan separationem impediunt, puta ob susceptos jam liberos vel civiliter contractum matrimonium, certe absolute exigendum est ut absit proximum perversionis periculum pro parte catholica et ut eadem promittat se totis viribus adlaboraturam esse ut universa proles in vera religione educetur : hae enim condiciones manifeste jure divino poscuntur.

Attamen, urgente necessitate, dispensatio dari poterit ad validandum matrimonium jam attentatum, licet pars infidelis renuat satisfacere conditionibus de educatione prolis, etc. Etenim S. Inq. interrogata de sanatione in radice in his adjunctis data, 2 Junii 1897 respondit (N. R. Th. t. 29. p. 942) : episcopum potuisse uti facultatibus suis, dummodo reliquae condiciones necessariae adfuerint. Nec mirum : nam matrimonio jam attentato tantaque necessitate urgente, pars catholica non *temere* prolem suam periculo perversionis exponit, sed malo commisso medetur quatenus fieri potest.

Quodsi pars infidelis praevideatur denegatura, vel jam denegavit renovationem consensus, modo perseveret consensus olim datus in verum matrimonium, recurri poterit ad dispensationem in radice, juxta dicenda n. 541.

IX. IMPEDIMENTUM VIS ET METUS.

490. I. Vis, quamquam generatim plurimum a metu discrepat (Vol. I. n. 24), in praesenti argumento eodem sensu adhibetur ac metus : ejus naturam explicuimus Vol. I. n. 27. Supponitur autem, in casu prae-

sentis impedimenti, verum consensum in matrimonium datum fuisse a parte quae metum passa est : nam si haec vel fecte tantum consensit, vel, mente perturbata, actum perfecte humanum elicere nequivit, jam deerit ipsa matrimonii essentia.

Quando igitur datus est consensus qui, secluso metu, matrimonio valide contrahendo sufficeret, istud, sub certis condicionibus, nullum est propter metum a quo ortum habuit. Hanc nullitatem cum communi sententia ducimus e solo Jure positivo repetendam. Cfr. dicta de contractibus in genere Vol. I. n. 591. Non pauci tamen DD., quorum sententiam S. Alph. (n. 1054) forte probabiliorem vocat, hanc nullitatem ex ipso jure naturae repetunt, quia ceteri contractus e metu initi, rescindibiles sunt ad nutum illius qui metum passus est, contractus vero matrimonii, cum sit natura sua perpetuus, debet ipso jure naturae irritari, ne irreparabilis injuria metum passo inferatur. Sed haec ratio non nisi magnam convenientiam probat ut istud impedimentum lege positiva statuatur : nam ab isto damno irreparabili semper cavere potest metum patiens, dato consensu ficto.

II. Condiciones requisitae ut matrimonium ob praesens impedimentum sit irritum, praesertim e Jure Canonico determinandae sunt. Has breviter tantum explicabimus. Vid. requiritur :

1^o Ut metus sit absolute vel respective gravis (Vol. I. n. 28), seu, juxta tritissima verba Innoc. III (Deer. l. 1. t. 40. c. 6), *ut cadat in constantem virum*. In singulis ergo casibus judex inspicere debet, num, relate ad talem personam determinatam, metus fuerit aptus ad gravem mentis trepidationem commovendam. Id sane fieri potest etiam ubi metus est tantum *reverentialis* : sed, ut propter talem metum matrimonium irritum declaretur, necesse est ut metus gravitas clare appareat, saltem e precibus importunis et instantissimis. (Gasp. n. 815) Sufficit quoque ut timeatur malum inferendum personis quae consanguinitate, affinitate, etc. sint ita arte conjunctae cum ea quae ad nubendum compellitur, ut earum malum tamquam suum apprehendat. Ubi vero metus gravitas probari non potest, censendus est levis, ideoque pro valore contracti matrimonii pronuntiandum erit.

2^o Ut metus incutiatur a causa extrinseca et libera. Non enim ambigitur valere matrimonium contractum ex timore mali quod a causa intrinseca vel necessaria immineat, ex. gr. ad vitandum morbum vel inopiam.

3^o Ut metus incutiatur injuste. Igitur, omnium consensu, valet matrimonium si metus omnino juste incutitur, vid. a persona quae illius incutiendi jus habet et ob causam condignam, ex. gr. si deprehenso in crimine mineris accusationem, nisi mulierem stupratam ducat. Hinc

censent plures AA. (D'Annib. III. n. 445. nota 19; Gasp. n. 820) valere matrimonium si vir qui mulierem vi cognovit, a iudice saeculari in carcerem detrudatur, non aliter dimittendus nisi mulierem consentientem duxerit: quam legem in quibusdam Amer. Septent. Statibus vigere asserunt. Nam, cum tale delictum sit mixti fori, et poena delicto proportionetur, metus omnino juste incuti videtur. Omnes vero consentiunt invalidum fore matrimonium contractum e metu qui, quoad substantiam, injuste inferatur, ex. gr. si pater stupratorem metu mortis ad filiam suam ducendam adigat. Ubi verò metus injustus est tantum quoad modum quo incutitur, puta non servato ordine juris, dissentiunt AA. Probabilius censemus cum d'Annib. et Gasp. (ll. cc.) matrimonium valere, quia injuria fit potius legi quam personae metum passae.

4º Ut metus incutiatur ad extorquendum consensum matrimoniale. Hanc condicionem ducimus probabilius tenendam cum sententia communiore (D'Annib. l. c.) contra plures (Ball. P. n. 1129 seqq.): quia, si metus incutitur ad alium finem, matrimonium verius non contrahitur ex metu (quod unice videtur praecavere lex Canonica), sed libere eligitur tamquam medium evadendi periculi. Ita validum habendum esset matrimonium quod puella contraheret cum sene exoso, ut ab intolerabili novercae jugo liberaretur.

Penitior cognitio harum condicionum tantum a iudice fori externi habenda est. Si enim parochus vel confessario casus matrimonii e metu contracti occurreret, nihil ipsi praestandum foret, nisi ut conjunctionem cessante metu, certo validam fieri curaret (n. 535) vel casum ad Ordinarium deferret.

X. IMPEDIMENTUM ORDINIS.

491. Ordo sacer, in Ecclesia saltem Occidentali, matrimonium contrahendum dirimit, dummodo valide et voluntarie susceptus sit. Oritur hoc impedimentum e jure ecclesiastico, suadente quamplurimum jure divino ob summam talium ordinum sanctitatem. Ex ipso Decreto Gratiani (dist. 27. c. 8. etc.) patet eam legem jam saeculo XIIº urgeri tamquam a sacris canonibus antea statutam. (1)

De iis qui hanc caelibatus servandi obligationem ignoraverint vel respuerint ubi sacrum ordinem receperint, et de iis qui ordinem metu coacti susceperint, dictum est n. 30.

(1) Eadem nullitas matrimonii, post susceptum s. ordinem attentati, probabilius viget in universa Ecclesia Orientali. Sed in quibusdam ejusdem Ecclesiae partibus, ex. gr. apud Maronitas, hypodiaconatus inter minores ordines recensetur. (Gasparri, n. 591) Insuper singulas causas matrimoniales in quibus de impedimento sollemnis voti castitatis vel ordinis sacri agitur, ad S. Sedem deferri jussit S. Inq. Instr. 20 Jun. 1893 ad Ep. Orient. (Coll. P. F. n. 1572)

XI. IMPEDIMENTUM LIGAMINIS.

492. Ligamen hic intellegitur vinculum quod e matrimonio valide inito, seu mere ratum seu jam consummatum sit, oritur, neque morte alterutrius partis vel alia extraordinaria ratione (de qua n. 555 seqq.) solutum est. Ex iis quae supra (n. 461) de unitate matrimonii dicta sunt, liquet tali vinculo induci, ex ipso **jure naturali et divino**, impedimentum dirimens matrimonium cum alio viro vel uxore contrahendum.

QUAER. I. Quatenus constare debeat de morte alterius conjugis, ut novae nuptiae iniri possint.

RESP. Requiritur moralis certitudo de alterius conjugis obitu. (Deer. l. 4. t. 21. c. 2)

Qua ratione haec certitudo quaerenda sit, fuse explicuit S. Inq. 14 Maii 1868. (Coll. P. F. n. 1372) Vid. primatum in hac probatione tenet authenticum documentum ex regestis paroeciae, xenodochii, civilis administrationis, etc. desumptum.

Hujus defectui supplendum erit depositione testium: qui sunt saltem duo, jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint ac sint inter se concordés quoad substantiales obitus circumstantias. Quandoque tamen admittitur unus testis immediatus, vel ad testes mediatos, praesumptiones, conjecturas, etc. recurri potest, ut exponit cit. Instructio. Parochus autem rem ad Ordinarium deferre debet, quando moralem certitudinem ex seipso acquirere nequit: quod *regulariter* contingit quotienscumque neque authenticum documentum, neque concursus duorum testium immediatorum testimonium habebitur. (Feye, n. 445) Attamen non est inficiandum quandoque alia argumenta tot tantaque concurrere posse ut ad moralem certitudinem pertingant. Ipse Ordinarius, si quaestio incerta manet, ad S. Sedem recurrere debet. (Instr. cit. n. 11)

QUAER. II. Num ad novas nuptias transire possint qui matrimonium iniverint quod ob impedimentum dirimens, puta consanguinitatis, clandestinitatis, sciant esse nullum.

RESP. Quotienscumque matrimonium contractum est in facie Ecclesiae vel in alia forma quae in Ecclesiae foro valida esse possit, non licet has partes ad novum matrimonium contrahendum admittere, antequam etiam in foro externo de prioris matrimonii nullitate constiterit, sicut in eodem foro de ejus valore per celebrationem specie tenus validam constabat. Quodsi partes non exspectata legitima auctoritatis sententia,

ad alias nuptias transierint, hae in foro externo habebuntur ut nullae, licet in foro interno constet prius matrimonium fuisse invalidum. (S. C. de P. F. 11 Febr. 1804; Coll. P. F. n. 1225)

Immo regulariter, ex Const. Bened. XIV *Dei miseratione*, 3 Nov. 1741, exspectanda erit duplex sententia conformis, nullitati matrimonii favens. Attamen, ex decreto S. Inqu. 5 Jun. 1889 (Coll. P. F. n. 1575), licebit novas nuptias inire statim postquam Ordinarius pronuntiaverit nullitatem, ideoque non exspectato exitu appellationis quae forte interposita fuerit, modo "ex certo et authentico documento, vel, in hujus defectu, ex certis argumentis *evidenter constet*", obstitisse unum e sex impedimentis sequentibus: disparitatem cultus (si evidenter constat unam partem esse baptizatam et alteram non baptizatam), ligamen (si certo constat primum conjugem esse legitimum et adhuc vivere), consanguinitatem, affinitatem e copula licita, cognationem spiritualem, clandestinitatem (ubi viget decretum *Tametsi*). (1).

Non ita liquet num ad Ordinarium sit recurrendum ubi nupturiens iniiit matrimonium mere civile in locis in quibus viget decretum *Tametsi*. Communiter affirmant AA. (Gasp. n. 1177; De Becker, p. 455, nota) oportere ut ab Ordinario petatur declaratio qua constet de libero statu hujus partis. Ratio potissima videtur quod, licet hujusmodi matrimonium sit verus concubinatus (n. 508), habet tamen juxta multos gravesque AA. (Feye, n. 785) matrimonii figuram. Insuper varia incommoda facile enascerentur si sacerdotes, sine Ordinarii interventu, assisterent matrimoniis eorum qui civiliter cum alia parte juncti essent, praesertim nondum abrupto isto civili vinculo.

493. QUAER. III. Num liceat uti matrimonio, quod cum dubio de alterius conjugis obitu initum fuerit.

RESP. 1° Si dubium istud leve est et, adhibita morali diligentia, nullum indicium probabile de vita alterius partis perseverante detegitur, licet debitum reddere et petere. (Decr. l. 5. t. 39. c. 44)

2° Si unus contraxit cum dubio probabili de vita prioris conjugis, debitum quidem reddere tenetur, petere vero non potest, ut statuit Lucius III. (Decr. l. 4. t. 21. c. 2) Ratio est, quod ipse ut malae fidei possessor, altera pars ut bonae fidei possessor tractetur oportet. Quodsi, adhibita morali diligentia, dubium probabile remanet, S. Alph. (n. 906) aliique opinantur semper a debito petendo abstinendum esse ei qui

(1) Ordinem servandum in causis matrimonialibus explicare, ad Jus Canonicum pertinet. Pro locis Missionum, cfr. Instr. S. C. de P. F. an. 1883. (Coll. P. F. n. 1573)

possessionem mala fide inchoavit, donec moraliter constet de alterius conjugis obitu, tum quia remanet probabile periculum injuriae alterius conjugis, tum quia prius matrimonium possidet donec constet esse solutum. Sed communis et certe probabilis sententia Sanchezii, Salmant. etc. tenet: tunc licite formari conscientiam vi opinionis probabilis, valori novi matrimonii faventis; Decretalem vero cit. Lucii III esse interpretandam de eo qui nondum diligentiam moralem adhibuit, ut ipse S. Alph. (n. 904) interpretatur supra cit. Decr. l. 5. t. 39. c. 44. (Ball. P. n. 678).

3° Si uterque cum dubio probabili contraxit, neuter debitum reddere aut petere poterit, donec moralem diligentiam adhibuerint: uterque enim est possessor malae fidei, cui possessio nequit tribuere jus utendi re. Quodsi, adhibita diligentia, manet dubium, controvertitur num debitum reddere et petere possint, eadem ratione ac supra de una parte dubitante dictum est.

Adverte a fortiori debitum petere posse eum qui, post moralem diligentiam, pergit probabiliter dubitare num matrimonio a se contracto obstet aliud impedimentum quam impedimentum ligaminis: quod satis probabile opinatur ipse S. Alph. n. 906.

QUAER. IV. Num liceat uti matrimonio bona fide contracto, si dubium de morte prioris conjugis supervenerit.

RESP. 1° Pars quae dubitat tenetur ad veritatem inquirendam; interim vero debitum reddere debet, quia alteram partem jure suo spoliare nequit; petere vero non potest, quia possessor dubiae fidei frustra quaereret dominum rei, si non teneretur eam eidem conservare.

2° Si, post moralem diligentiam, dubium manet, licet dubitanti non solum reddere, sed et petere debitum: nam, cum possessor sit bonae fidei, jure suo non est spoliandus donec certo constet possessionem esse injustam. (Vol. I. n. 533) Abstinere tamen deberet si rationes pro nullitate matrimonii ad certitudinem moralem pertingerent. (S. Alph. n. 904)

XII. IMPEDIMENTUM AETATIS.

494. Ad matrimonium valide contrahendum, ex Jure Canonico, requiritur aetas pubertatis legalis, vid. annus decimus quartus viri et duodecimus feminae completus. (Decr. l. 4. t. 2. *De desponsatione impuberum*) Excipit tamen ipsum Jus (Decr. t. cit. c. 9) casum quo *aetatem supplet malitia*, i. e. quo impuberes jam actu apti sint ad copulam habendam, et mentem satis evolutam habeant ut matrimonii obligationes apprehendant: cujus rei iudicium ad episcopum pertinet. (Bened. XIV, Const. *Magnae Nobis*, 29 Jun. 1748)

Hoc impedimentum est juris tantum ecclesiastici. Jus naturale nullam certam aetatem statuit ad valide contrahendum, dummodo contrahentes mentem satis evolutam habeant ut consensum matrimonialem debito modo praestent. Ex natura enim contractus matrimonialis minime necessarium est ut statim copula inter conjuges haberi queat: unde, nisi partes laborent impotentia perpetua (n. 504), poterit matrimonium jam inter impuberes consistere. Quare inter infideles valebit matrimonium ab impuberibus contractum, dummodo constet nullum fuisse impedimentum juris naturalis vel divini, et praesertim verum consensum a contrahentibus praestitum esse. (S. Inqu. 10 Dec. 1885, Coll. P. F. n. 1383) Inter fideles valebit matrimonium contractum inter puberes, etiamsi vir nondum ad copulam aptus sit, siquidem lex ecclesiastica determinatam aetatem, non vero directe actualem coeundi potentiam requirit.

XIII. IMPEDIMENTUM CLANDESTINITATIS.

Punctum I. De natura hujus impedimenti.

495. I. Clandestinum, in sensu praesentis impedimenti, vocatur matrimonium quod sine praesentia parochi et duorum saltem testium celebratur.

Jam ante Trid. clandestina matrimonia Jure Canonico (Decr. Grat. c. 30 q. 5. can. 1 seqq.) prohibebantur, utpote a moribus christianis alinae et periculum creantia ne, occultis nuptiis ligati, alias attentarent: quare Ecclesia "illa semper detestata est atque prohibuit." (Trid. Sess. 24. de ref. Matr. c. 1) Haec prohibitio hodie ubique viget: ac proinde graviter peccant fideles qui vel omnino occulte, vel saltem absque proprio parochi praesentia, contrahunt, etiam ubi hujusmodi matrimonia valida sunt. Excipe, si quando grave incommodum ab hac lege servanda excusaret, ex. gr. si timor probabilis esset ne, adhibitis testibus, matrimonium malitiose impidiretur.

Clandestinitatem in dirimens impedimentum erexit Trid. (l. c.): "Qui aliter quam praesente parochi vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit." Huic decreto inhaerentes, hic prius declarabimus formam a Trid. statutam ad valide contrahendum; in Puncto sequente determinabimus quibus in locis praedictum decretum, quod a primo Capitis verbo *Tametsi* nuncupatur, vigeat aut non vigeat.

II. Consensus utriusque partis externe coram parochi et testibus exprimendus est. Ad valorem tamen non est necessaria utriusque partis praesentia, sed sufficit declaratio per procuratorem facta "quando hanc in rem ei mandatum speciale, personam futuri conjugis determinans, collatum, nec eo tempore quo mandantis nomine matrimonium contrahitur, revocatum fortasse jam fuerit." (Instr. Austr. cit. § 50) Sic etiam valet matrimonium quando litterae, utriusque contrahentis consensum de praesenti exprimentes, coram parochi et duobus testibus leguntur. Attamen solet particularibus statutis prohiberi ne parochus, absque Ordinarii venia, matrimonii celebrationem per procuratorem vel litteras admittat.

496. III. Requiritur assistentia parochi, non cujuslibet, sed qui proprius sit saltem alterutrius contrahentium. (S. Inqu. 2 Maii 1877; Coll. P. F. n. 1409) Proprius autem pastor ille est in cujus paroecia vel (ubi nondum canonice erectae sunt paroeciae) quasi-paroecia sponsus vel sponsa domicilium vel quasi-domicilium habet. (Vol. I. n. 99 seqq.) Ex ipso Trid. (l. c.) valide assistit quoque Ordinarius, i. e. episcopus vel Vicarius Generalis. Hi omnes non solum valide, sed et licite assistunt matrimonio subditorum suorum extra dioecesis vel paroeciae territorium, quamquam graviter peccarent si in aliena paroecia vel dioecesi sollemniter nuptiis benedicerent sine licentia Ordinarii vel parochi loci. (S. Alph. n. 1087)

Neque valori obest, secundum communem sententiam, quod parochus vel Ordinarius sit suspensus vel excommunicatus, etiam vitandus, modo non sit actu depositus, sed beneficii possessionem retineat. (Ball. P. n. 1213) Valide quoque assisteret parochus cui talis assistentia diserte ab episcopo prohibita fuisset, ut an. 1581 respondit S. C. C. (Bened. XIV, de Syn. l. 13. c. 23. n. 1) Si parochus haberet tantum titulum coloratum vel unice ex errore communi talis reputaretur, Ecclesia, saltem probabiliter, suppleret, ut dictum est in argumento simili de jurisdictione ad confessiones audiendas. (n. 331) Non excusaretur tamen a peccato gravi parochus suspensus, excommunicatus, etc. qui, cum facile et sine aliorum gravamine alium sacerdotem sibi substituere posset, ipse assisteret. Ad liceitatem quoque requiritur ne laedatur jus alienum, quod fieret si parochus sponsi assisteret quando Statuta dioecesana, quod non raro fit (Stat. Mechl. n. 304), id jus reservant parochi sponsae.

Vagi (Vol. I. n. 96), cum proprium parochum non habeant, secundum sententiam quam S. Alph. (n. 1089) communem vocat, valide contrahunt coram quolibet parochi; secundum alios (Schmalzgr. in l. 4. Decr. t. 2. n. 163), tantum coram parochi in cujus territorio, dum contrahunt, versantur. Idem, ob individuitatem contractus matrimonialis, dicendum si